



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Posteriores Libros Septem De Habituali Gratia, Sanctificatione
Hominis, Ac Merito

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

Cap. V. An ad habitualement gratiam dispositio aliqua physica, seu per
modum actus primi præcedere possit, vel tantum moralis; & per modum
actus secundi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94104)

Dubium incidens.

De intensione habitus infusi.

16. **A**d primam rationem negatur equiparatio inter habitus acquisitos, & ratio differentia iam est data. In secundo vero argumento petitur, an isti actus infusi saltem intendant habitus? Quod dubium posset remitti in librum sequentem, tamen propter connexionem hic breuiter expedietur. Non potest ergo dubium hoc cadere in primam actum respectu habitus, qui ratione illius infunditur, tum quia non potest habitus simul fieri, & augeri, tum etiam quia per se, & ex vi dispositionis actus non infunditur habitus intensior actui, tum denique quia eadem ratio de infusione habitus, & de infusione omnium graduum eius. Solum ergo potest dubitari de actibus sequentibus post infusionem habitus. Nam D. Thomas 1. 2. q. 51. art. 4. ad 3. dicit, per illos actus confirmari, & corroborari habitum, quod non videtur posse fieri, nisi per intentionem.

17. **R**esolutio dubij. Nihilominus dicendum est, per hos actus non intendi effectiue, & phylice habitus infusos, quod intelligendum est, non solum quando actus non sunt intensiores habitu, nam hoc commune est habitibus acquisitis, sed etiam de actibus intensioribus. Ita docent communiter moderni in locis supra citatis. Et quamuis Medina dicat, non esse hoc tam certum, sicut de prima productione, mihi videtur esse in eodem gradu certitudinis, quia reuera consensio Theologorum eadem est: hoc enim docet expresse D. Thom. q. vnic. de Virtutibus art. 10. ad 19. & art. 11. in corp. & ad 14. & in 1. d. 17. q. 2. art. 2. ad 4. & ibi Durand. q. 8. n. 5. & alij, & Caietan. 2. 2. q. 24. ar. 6. & ibi etiam alij communiter, & Cordoua libr. 1. Quaestio. q. 9. dub. 1. & moderni scriptores communiter. Et ratio plane est eadem, quia eadem est proportio inter habitum, & actum siue in substantia, siue in singulis gradibus remissis, vel intensis comparentur; ergo sicut actus in quocunque gradu non potest in principio similem habitum efficere, ita neque intensus actus potest habitum intendere. Et confirmatur, ac declaratur, quia sicut actus non potest efficere potentiam suam, ita neque potest illam intendere. Adde, gratiam augeri per omnium virtutum actus, & cum illa crescere omnes virtutes infusas fieri autem non potest, ut vnus virtutis actus phylice omnes virtutes intendat. Neque hic occurrit specialis difficultas. D. Thomas autem in citato loco indifferenter loquitur de habitibus per se, & per accidens infusis, ut ex argumento constat, & Caietan. notat. Et ideo seruata proportionem, utrique accommodandum est, quod ait, actus corroborare habitum infusum: nam si habitus sit per accidens infusus, potest corroborari etiam per propriam intentionem, & effectiue actum, si vero sit per se infusus corroborabitur dispositiue per actus, non effectiue. Quibus autem modis illa corroboratio fiat, in libro sequenti tractabitur.

Ratio. Argumentum tertium aliud postulabit dubium, an actus supernaturales aliquem habitum producant? quod lib. 6. cap. vltim. tractatum est. Et ideo breuiter responderetur, actus infusos non ex defectu perfectionis carere virtute effectrice habituum, sed potius ex perfectionis excellentia, nam cum excedant naturalem potentiam, non possunt illam habitare ad similes actus, sed necessarii sunt habitus dantes facultatem operandi, qui altioremodum productionis requirunt. Sicut anima rationalis non potest efficere aliam similem, licet materiales formae id possint, non ob maiorem, sed ob maiorem perfectionem, ratione cuius altioremodum productionis postulat.

18. **A**d 3. Declaratur exemplo. Sicut anima rationalis non potest efficere aliam similem, licet materiales formae id possint, non ob maiorem, sed ob maiorem perfectionem, ratione cuius altioremodum productionis postulat.

CAPVT V.

Ad habituales gratias dispositio aliqua physica, seu per modum actus primi procedere possit, vel tantum moralis, & per modum actus secundarij?

Hactenus dictum est de causis materiali, & efficien-
te, quatenus physico, ac reali influxu possunt Causa efficiens per se in gratiam influere, vel recipiendo, vel agendo. Nunc de vtraque dicendum sequebatur prout mo-
rali modo ad gratia infusionem, seu receptionem cooperari possunt. In quo ordine collocatur in primis sunt moralis causa meritoria, quae moralis est, & ad efficientem re-
ducitur, & subdistingui potest: nam quaedam est in illa, & quasi principalis, & vniuersalis in illo ordine, quae est in illa, & Christum Dominum. Quem propterea Paulus ad Heb. titulum, 2. auctorem salutis appellat. Et ob eandem causam Concilium Trident. dicto ca. 7. dixit, Iustificatio-
nem exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praesentem gratia sumendum esse. Sed de hac causa non est nobis hoc loco dicendum, quia oportet totam de Christi merito disputationem huc transferre, quod alienum est ab hoc loco, & tom. 1. 3. partis disputatione quarta, & quinta, & disputatione 41. dictum est id-
eoque de hac causa nihil in praesenti dicendum est. Fortasse tamen in libro vltimo, explicando dependentiam nostri meriti a merito Christi aliquid de illo attingemus. Alia vero causa meritoria gratiae potest esse proxima, & particularis, de qua Concilium nihil dixit, non quia omnino nulla sit, sed quia respectu primae iustificationis nulla est perfecta praeter Christum, respectu vero augmenti gratiae illam explicaturum erat cap. 10. & canon. 32. nunc vero supponimus etiam totius gratiae habitualis posse dari aliquam causam particularem meritoriam, quae in duas distingui potest, scilicet in ipsammet recipientem, qui sibi gratiam meretur, vel aliam, qui eam alteri obtineat. Quae causa non possunt explicari, nisi quales sit eorum meritum declaratur, & ideo totam de hac causa tractationem in librum vltimum huius operis reijcimus.

Ad materialem causam gratiae pertinent dispositiones ex parte recipientis requisitae, ut ei habitualis gratia infundatur. Quod enim aliqua dispositio ad gratiam necessaria sit, vel possibilis, nunc supponitur, & materia postea vero probabitur, illa vero supposita, quod materialis causam pertineat, in hunc modum facile declarari potest. Nam in hac causa considerari potest, vel qualitas ipsa, seu actus, qui est dispositio ad iustitiam, vel causa efficiens in nobis talem dispositionem, seu actum. Haec posterior non pertinet proprie ad causam materialem, sed potius ad efficientem, sicut in naturalibus ignis disponens lignum ad introductionem formae ignis non est causa materialis, sed efficiens, ita ergo in praesenti, causa efficiens dispositionem ad gratiam non est materialis causa, sed efficiens per se, & proxime talem actum, & remote aliquo modo cooperans ad infusionem gratiae. Vnde in tali causa locum habent distinctiones datae de causa vniuersali, & particulari distincta, vel non distincta ab ipsomet recipiente gratiam, ad quam disponitur. Prior ergo qualitas, vel actus, qui praeparat animam ad gratiam recipiendam ad causam materialem reuocatur eo modo, quo dispositiones physicae praeparantes materiam ad idem genus causae reducantur. Ideoque in hac causa non habent locum distinctiones illae, talis enim

nim causa intrinseca esse debet illi, qui recepturus est gratiam, ad quam preparatur, ac proinde esse debet particularis, & intrinseca. Potest autem esse interdum proxima, seu vltima, quando scilicet talis est, vt illa posita, statim necessario inducatur gratia: interdum vero potest esse remota, quia ad proximam preparat, non tamen illi statim habitualis gratia coniungitur, & de vtraque a nobis dicendum est, prius quidem de proxima, postea vero de remota.

3. Antea vero, quam de illis in specie dicamus, in genere declarandum est, qualis esse possit talis dispositio, id est, an sit per modum actus secundi, qui non durat, nisi dum ab aliqua potentia animæ elicitur, vel per modum actus primi permanentis in anima, etiam cum non operatur. Et inde facile declarabitur cur dispositionem hanc potius moralem causam, quam physicam appellemus. Ratio autem dubitandi in quaestione proposita esse potest, quia ad omnem formam necessaria est aliqua forma preparans subiectum, & determinans illud ad talem formam potius, quam ad aliam, vt in naturalibus videmus, ergo idem seruandum est in supernaturalibus, seruata proportionem, sed gratia est quadam forma supernaturalis per modum substantialis principii, vt supra visum est, ergo similem dispositionem postulat, in qua conditiones necessariae ad seruandam proportionem inter dispositiones, & formam, inueniantur. Dux autem rationes dispo-

tem videntur esse potissimæ. Vna est, vt sit supernaturalis sicut ipsa forma, nam qualitas inferioris ordinis non potest per se preparare subiectum ad formam supernaturalem, vt in lib. 3. dictum est, & in sequentibus dicitur. Alia conditio est, vt sit in eodem subiecto cum forma: nam hoc etiam in aliis formarum dispositionibus exprimitur, & ad debitam proportionem necessarium esse videtur. Et de huiusmodi dispositionibus loqui videtur D. Thomas prima parte, q. 12. articulo quinto, dum ait. *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod suam naturam excedit, oportet, vt disponatur ad dispositionem, que sit supra suam naturam.* Perinde enim est, ac si dixisset, ad omnem formam supernaturalem necessariam esse supernaturalem dispositionem, loquitur autem de dispositione permanente, & per modum actus primi, nam talis dispositio est lumen gloriæ, cuius necessitatem illo discursu probare contendit. Vnde Caietanus ibi docet, illud principium esse verum de forma, que est terminus generationis, non vero de illa, que est via ad terminum. Vnde roboratur argumentum, nam gratia sanctificans est forma, que est terminus spiritualis regenerationis; ergo ad illam necessaria erit similis dispositio. His accedit, quod nonnulli Theologi admittunt huiusmodi dispositionem in ordine ad gratiam, saltem quando datur per sacramenta. Nam si sacramentum imprimat characterem, hanc vocant dispositionem ad gratiam, de aliis vero sacramentis, quæ characterem non imprimant, dicunt inducere aliam præuiam dispositionem ad gratiam, quam ornatum vocant. Ergo eadem ratione similis ornat? dici potest dispositio simpliciter necessaria, vt gratia in subiecto preparato introducatur, siue per sacramentum, siue per illum inducatur: nam varietas ex parte agentis dispositionis necessitatem, neque augeat, neque minuit.

4. Nihilominus dicendum est primo, ad gratiam habitualement non esse necessariam huiusmodi dispositionem per modum actus primi, imo nec possibilem videri, vel saltem nullo probabili iudicio ostendi posse. Hæc veritas tam clara est apud Theologos, vt nullam de ipsa conouerfiam moueant, sed tanquam certum supponant, vt ex dicendis patebit. Probat ergo assertio, quia vel loquimur de tota iustitia habituali collectivè sumpta, id est, de tota collectione habituum infusorum, vel de singulis habitibus infusis, neuero autem modo potest talis dispositio requiri, ergo. Prior pars minoris probatur, quia impos-

sibile est, dari talem dispositionem ad totam gratiam habitualement, nam si illa dispositio non est actus secundus, sed primus, erit quidam habitus, ergo comprehendetur in illa collectione, ergo non potest esse dispositio ad totam collectionem. Vnde facile probatur altera pars, quia generaliter loquendo de singulis habitibus infusis, non potest de omnibus, & singulis dici, ex eo tantum capite, quod forma supernaturalis, & permanens est, requiri dispositionem præuiam permanentem, & per modum actus primi, alias procederetur in infinitum, quia talis dispositio etiam esset forma permanens, & supernaturalis, quia si esset ordinis naturalis, non esset apta dispositio, ergo ad illam esset necessaria alia dispositio, & ita in infinitum procederetur. Sistendum ergo est in aliqua habituali gratia, quæ tali præuia dispositione non indigeat.

Denique de nullo habitu infuso in particulari potest id cum fundamento affirmari. Nam imprimis in speciali habitu gratiæ sanctificantis, & inherenti in substantia animæ nulla talis dispositio cogitari potest utilis, nedum necessaria ad illam. Aut enim illa dispositio esset aliquis habitus existens in potentiis, vel alia qualitas immediate inherens animæ, neutrum dici potest, ergo. Prior pars minoris de habitu existente in aliqua potentia, manifesta est: tum quia dispositio proxima ad formam esse debet immediate in eodem subiecto, in quo est forma, ad quæ propinque disponit, vt optime docet D. Thomas. 3. p. quæst. 63. art. 4. ad 1. Et idem sentit. 1. 2. quæ. 74. art. 4. ad 3. Quod principium maxime locum habet in propria dispositione physica, quæ accommodat subiectum, & quasi determinat illud vel ad operationem, vel ad formam recipiendam. Tum etiam quia in potentiis solum datur habitus proxime operatiui, quia tota entitas, & capacitas potentie est propter operationem, & habitus infusus potentie illis accommodatur, & proxime ad operationem ordinatur, vt supra dictum est. At vero habitus operatiui non disponunt ad gratiam illo modo, sed potius sunt veluti proprietates ab illa manantes, vel illi debite, vt supra li. 6. diximus, & in charitate, ac moralibus virtutibus infusis, ac donis Spiritus Sancti manifestum est. De habitibus autem huiusmodi, & spei dubitare quis posset, quia possunt præcedere habitum gratiæ, vt postea videbimus. Veruntamen etiam illi habitus per se loquendo, sunt proprietates consequentes gratiam, vt in iustificatione paruulorum videre licet, & si aliquando tempore præcedunt, non dantur vt dispositiones proprie ad habitum gratiæ, sed vt sint principia inchoantia dispositionem moralem ad eandem gratiam, illa enim dispositio per actus huiusmodi, & spei inchoatur, vt sumitur ex doctrina Concilii Trident. sess. 6. c. 6. & ita ipsi habitus ad eandem moralem dispositionem quasi remote, & mediate pertinent, non vero ad dispositionem physicam.

6. Altera pars minoris de dispositione ad gratiam sanctificantem recepta in ipsa essentia animæ probatur primo, quia licet gratia comparetur ad alias virtutes infusas sicut forma ad potentias nihilominus in se absolute spectata est forma accidentalis, quæ in anima immediate recipitur, & cuius anima ipsa immediate capax est, at vero ad huiusmodi formas accidentales non solet præuia dispositio accidentalis, & physica, & per modum actus primi requiri, ergo nec respectu gratiæ debet talis dispositio fingi. Secundo quia gratia est immediata participatio diuinæ nature, vt natura, & substantia quædam est, ergo sicut in Deo ipso nihil intelligitur prius ratione, quam sit ipsa natura, vt natura est & essentia Dei, ita neque in anima intelligi potest donum super naturale, priusquam sit gratia sanctificans, & ad illam disponens. Probat consequentia, quia illa dispositio esset quædam forma, seu qualitas supernaturalis, ergo esset etiam quædam participatio Dei supernaturalis, ergo

Singulis habitibus non est opus talis dispositio

Talem dispositionem non esse in essentia animæ probatur,

*Sequitur
processus in
infinitum.*

ut esset prior, quam gratia deberet esse participatio
diuinæ substantiæ secundum aliquam priorem ra-
tionem eius, quam sit ratio essentia, vel naturæ, quia
alias non potest fingi ratio cur sit prior, quam gratia
sanctificans, at hoc est impossibile, ut ostendimus,
ergo etiam talis dispositio non potest cum funda-
mento cogitari. Vnde tertio etiam videtur ratio fa-
cta de processu in infinitum, quia illa dispositio esset
qualitas supernaturalis, & participatio diuini esse
secundum aliquam proprietatem priorem, quam sit
ratio naturæ, vel essentia, cuius participatio est gra-
tia, ergo eadem ratione fingi poterit ex parte Dei alia
ratio participabilis prior altera, & ex parte superna-
turalis qualitatis alia necessitas præuiæ dispositio-
nis, ut loquamur ergo cum fundamento, in qualita-
te gratiæ, tanquam in prima forma, siliendum est.
Et hic discursus facile applicari potest ad virtutes, &
dona singula infusa potentius, quia in nulla illarum
potest fingi talis dispositio per modum actus primi,
ut ex dictis facile intelligi potest, & per se satis constat.

*7.
Assertio. 2.
quaestionem
resolvens.*

Vnde secundo dicendum est, gratiam habitua-
lem non postulare dispositiones phyficas, sed ad summum
moralem. Explicatur, & probatur breuiter, quia
duobus modis intelligi potest, dispositionem ad gra-
tiam habitualement esse moralem, scilicet, vel in ef-
fendo, vel in causando, seu in esse actus, vel in
ratione causæ gratiæ, & utroque modo assertio
intelligenda est. Nam in primis ostensum est, di-
spositionem ad gratiam non esse actum primum,
sed secundum, talis autem actus esse debet moralis,
& liber, ut in cap. 8. dicimus, ergo talis dispositio ex
parte actus moralis est. Quod autem etiam in mo-
do disponendi moraliter, & non physice causet, in-
dicauit Richardus in 4. dist. 17. art. 1. q. 4. ad 1. prio-
ris ordinis, dum ait, animam non suscipere gratiam
mediante actu, tanquam dispositione gratiæ suscep-
tina, sed tanquam dispositione de congruo gratiæ
meritoria, per quæ vltima verba moralem rationem
disponendi satis explicauit. Itemque moderni au-
ctores dicentes, non habere gratiam dispositionem,
quam ex natura rei requirat, sed tantum ex diuina
ordinatione, & acceptance, ut videri potest in
Vazquez. 1. p. disp. 43. cap. 1. nu. 4. Medina, Cuiuslibet. &
aliis. 1. 2. q. 112. art. 1. Lorca artic. 2. disp. 25. vbi ait, ne-
minem vidisse oppositum sentientem. Potest etiam pri-
mo suaderi, quia dispositio physica, & vltima, seu
proxima ad aliquam formam semper, & in omni re-
cipiente solet esse necessaria, sed talis dispositio non
est necessaria in omni subiecto ad receptionem gra-
tiæ habitualis, ut constat in primis in paruulis. Deinde
de probabilibus est in Christi anima, de aliis vero,
qui iustificati sunt ante peccatum, res est dubia de
facto, certum est autem, sine miraculo id fieri potu-
isse, ergo signum est, talem dispositionem neque ne-
cessariam esse, neque debitam ex natura talis formæ.

2. argum.

*Peccatum ex-
pellitur non
physice, sed
moraliter.*

Vnde argumentor secundo, quia dispositio physica
necessaria esse solet, vel propter expellendam for-
mam oppositam, vel propter determinationem ma-
teriæ, hic autem non est forma opposita gratiæ, nisi
peccatum, quod non physice, sed moraliter expelli-
tur per actum oppositum, ut supra explicatum est,
determinatio autem ex parte animæ necessaria non
est, quia ipsa per se capax est gratiæ naturæ suæ, & ad
illam recipiendam satis est determinata, si ex parte a-
gentis actio ad talem formam dirigatur, & determi-
netur. Tercio est optimum signum, quia dispositio
physice necessaria ad formæ introductionem solet
etiam esse necessaria ad conseruationem eius in sub-
iecto, saltem quoad substantiam suam, seu quoad a-
liquem gradum minimum in via conseruationis, at
vero gratia non indiget illa dispositione in aliquo gra-
du ad sui conseruationem in anima, ergo signum
est, non esse physicam dispositionem ad illius intro-
ductionem. Quarto est aliud signum, quia disposi-
tio physica recipitur in eodem subiecto cum forma,

3. argum.

4. argum.

hic autem non est actus in eodem subiecto, in quo gra-
tia habitualis introducit, ut supponimus. Vnde
argumentor vltimo, quia actus supernaturalis non
est dispositio physica ad proprium habitum operati-
uum, & elicitum eius, scilicet actus fidei ad habitum
fidei, vel actus amoris super omnia ad habitum cha-
ritatis, ergo multo minus possunt isti actus esse di-
spolitio physica ad habitum gratiæ sanctificantis, quæ
in essentia animæ infunditur. Consequentia est eui-
dens, tum quia actus propinquius disponit ad pro-
prium, quam ad habitum quasi communem, tum
etiam quia habet maiorem proportionem cum illo,
cum sit in eodem subiecto proximo. Antecedens
autem probatur, quia habitus infusus comparatur
ad suum actum, tanquam potentia, actus autem po-
tentia non est dispositio physica ad illam, ut visio ad vi-
sibilem, & sic de ceteris. Vnde si connaturalem ordi-
nem attendamus, talis habitus debet esse omnino
prior suo actu, cum autem præcedit per modum di-
spolitio, sit præternaturali modo, physice loquen-
do, & illa immutatio fit propter congruitatem ali-
quam moralem, ergo signum est, talem dispositio-
nem non esse physicam, sed moralem.

In ratione dubitandi in contrarium facta solum
potest aliquam difficultatem ingerere locus D. Tho-
mæ ibi allegatus, nam ratio ibi facta, nullam habet.
Propositio enim assumpta, quod omnis forma pos-
sit præuiam dispositionem physicam habentem con-
ditiones ibi assignatas, ad summum habet locum in
formis substantialibus, non in accidentalibus, vtri-
am in rebus naturalibus manifestum est. Deinde ha-
bet locum in formis connaturalibus materiæ, quia
non potest recipere vnā formam, nisi recipiendo
aliā, nec est conuerso recipere denuo aliquam, nisi
antiquam dimittendo, & ideo necessaria sunt dispo-
sitiones præuiæ, quæ tollant determinationem, seu
vinculum cum vna forma, & alteri illam accommo-
dent: scilicet vero est in forma gratiæ, quæ & acciden-
talis, & superioris ordinis est, neque habet positū
formam physice repugnantem. D. Thomas autem in D. Thom.
citato loco accommodauit secundum quandam pro-
portionem illam propositionem ad materiam, de
qua tractabat, quia considerauit essentiam diuinam
per modum formæ, quæ vnitur intellectui per mo-
dum actus primi in esse intelligibili, & inde intulit
necessitatem luminis gloriæ per modum dispositio-
nis non tam passiuæ, quam actiuæ, quia species intel-
ligibilis non vnitur, nisi potentia proportionatæ in
ordine ad actum secundum eliciendum, & quæ in-
tellectus non est ita proportionatus naturæ suæ di-
uinæ essentia in ordine ad visionem, ideo debuit per
supernaturale lumen eleuari. Quæ ratio, vel pro-
portio non habet locum in præsentī, ut per se, & ex
dictis satis constat. Ad vltimam confirmationem re-
spondetur, characterem non esse dispositionem ad
habitualement gratiam, nec in eum finem dari, sed ut
potentiam moralem in ordine ad receptionem, vel
actionem sacramentorum, seu tanquam proprium
signum fidelium nouæ legis secundum aliquem eo-
rum statum. Vnde D. Thomas 3. p. quæst. 63. artic.
4. ad 1. ait, characterem directe, ac propinque dispo-
nere animam ad ea, quæ sunt diuini cultus, exequen-
da, & ideo habentibus characterem Deum largiri
gratiam, ut ea digne exequantur. Vnde sentit esse
potius rationem quandam remotam postulantem
auxilium gratiæ, quam dispositionem propriam ad
gratiam: Aliud etiam quod de ornatu dicitur, fictiti-
um est, nullumque habet fundamentum, ut in 3. tom.
3. partis disp. 9. sect. 1. late tractatum est, & ratio-
nibus etiam hic factis confirmari, &
conuinci potest.

* *
*

CAPVT